

sunt : etiam per naturam intelligimus illud , quod est , und plures fatui & infames credunt , quòd nihil est : sed nos scimus si hæc res sit an non . Et ideo secretum hoc non erit notum ignoranti . Nam per scientiam talem , intellectus est expulsus superfluitatibus , quæ ipsum removent à tota veritate , & alio modo hæc scientia nominatur vexillum & instrumentum philosophicum , per quod boni philosophi , & antiqui Poeta sensum ipsorum direxerunt ad quamlibet scientiam , ad intrandum per hoc in omnem experientiam , per artem fiendam , secundum naturæ cursum per realem notitiam .

Quomodo practica traditur per duplex instrumentum . Et quæ sunt instrumenta quæ dat .

C A P . I I .

Flli in hac secūda parte practicali fuit , & est intentionis nostræ practica tradere , ac modum practicandi duplici instrumento . Primum instrumentum est memorativa practica , aut recordativa , vel recollectiva . Secundum est practica operativa totum insimul mixtum , tamen successivè , per modum & formam Alphabeti factum secundum cujuslibet regiminis determinationem , & hoc ut melius regale magisterium intelligas , & illud formare per artem , ad faciendum & consequendum practicæ factum quod est certum . quoniam ante oculos tuos actione tibi nota per experientiam clarè ostendemus . Et quia virtus principii currere , neque discurrere aut fluere non potest usque in finem , nisi virtute media , extremitatum copulativa mediante , hæc procedit à ratione quæ dicit , quòd nos formabimus per memorativam artem suprà dictum instrumentum , maximè cum ita sit prout dictatus nobis ostendet naturæ realis , quòd theoria intellectiva non debeat separari per unum passum , nec elongari à practica scita . Nam una format aliam , & suos corrigit defectus . Et ideo posuimus practicam memorativam secundum hanc scientiam in forma media , quæ naturaliter exiuit de suis propriis extremitatibus , & sunt propriæ extremitates suæ , practica operativa in secundo latere , & in primo sua soror scilicet theoria . Et illa sunt verorum instrumentorum principia quæ integrant & perficiunt totam scientiam & artem , quæ formatur per primum . Quia nunquam erit ars aut scientia , nisi primò inchoetur , & incipiatur à suis certis principiis .